

FORUM PHILOSOPHICUM  
Fac. Philos. SJ, Cracovia – Kraków  
T. 1, 1996, 265–277

**Franciscus BARGIEL SJ**

**THOMAS MŁODZIANOWSKI SJ (1622-1686)  
IN SIGNIS SUAREZIANAE PHILOSOPHIAE ASSECLA  
IN POLONIA SAECULI XVII**

**1. Introductio**

Sub titulo supra allato, a. 1987 Cracoviae sat ampla dissertatio lingua polona publici iuris a me facta est, cuius brevis synthesis in hoc articulo datur, polonam linguam nescientium usui imprimis destinata<sup>1</sup>.

Thomas Młodzianowski etiam hodie memoria dignus videtur qua multiformis suo tempore activitatis vir plurimumque varii argumenti scriptorum auctor, quae temporum decursu non semel optime sunt notata, pleniores tamen expositionem nondum acceperunt, quod saltem philosophicos textus attinet, etsi a pluribus historicis hoc expresse postulabatur; alia eius opera (theologia moralis, homiletica) convenientibus monographiis iam sunt donata.

Cui defectui in philosophico campo obvenire supradicti libri ac huiusc elucubrationis est, quae vitae curriculum, preaecipua eius scripta philosophica eorumque contentum ac momentum exponenda declarandaque intendit.

**2. Vita**

Thomas [Tomasz] MŁODZIANOWSKI natus est die 21 decembris a. 1622 in Poloniae mediae regione, Masovia dicta, at elementarem educationem Leopoli [Lwów] in Societatis Jesu collegio assecutus est, in meridiano-orientali patriae plaga. A. 1637 noviciatum SJ Cracoviae ingressus est, quo absoluto philosophiae in Calissiensi [Kalisz] Collegio

<sup>1</sup> Vide *Bibliographiam* in fine huius articuli.

in Polonia Maiore studuit. Magisteriali triennio in mediis scholis Societatis Jesu peracto theologicis studiis incubuit in Cracoviensi Collegio per 4 annos ibique etiam est sacerdos ordinatus. Deinde per biennium in Calissiensi Collegio philosophiam docuit, sed a. 1653 in Persiam ad pastoralem missionem peragendam profectus est, quam per plures annos nondum sacerdos factus ardenter inhiabat.

Difficultatum periculorumque tamen causa non diu moratus est in hac missionaria expeditione, quam a. 1657 deseruit, per Palestinam ac Romam in patriam reversus est. In propria Provincia varia diversis locis exercuit officia, Posnaniae [Poznań] potissimum, ubi tribus vicibus per plures annos (1658-1667; 1669-1673; 1675-1683) laboravit qua concionator, professor, studiorum et typographicae officinae director rectorque Collegii de iuribus Academiae frustra concertantis. Ibi quoque praecipua eius scripta composita sunt.

Inter Posnanienses commorationes occupabatur Lublini [Lublin] et Cracoviae. Mortuus est die 9 Octobris a. 1686 in oppido Wolbrom prope Cracoviam.

De eius auctoritate in propria Provincia totaque Polonia haec facta testantur: bis a propriae Provinciae sodalibus electus est delegatus in Congregationem Generalem Societatis Jesu Romae habitam, ille etiam designatus est concionator in Regni Poloniae comitiis, in quibus Joanni III Sobieski diadema regale tradebatur.

### 3. Scripta

Prelo impressa eius opera circiter 20 numerantur suntque triplicis generis: homiletica, theologica et philosophica. Quae ultima tribus constant voluminibus, scilicet:

1) *Praelectiones Metaphysicae et Logicae* P. Thomae Młodzianowski Poloni Societatis Jesu, Gedani [Gdańsk], typis et sumptibus Davidis Friderici Rhetii, Reip. et Gymnasii Typogr., A. D. M.DC.LXXI [1671], ff. 225 + 233.

2) *Praelectiones philosophicae in octo Libros Physicorum Aristotelis [...]. Insertae sunt et quaestiones magis disputables De coelo et mundo.* Lesnae [Leszno] 1671, 3<sup>o</sup>, pp. 512.

3) *Praelectiones philosophicae (de Metaphysica, Logica, VIII Libris Physicorum, Generatione et Corruptione, Anima) sive Operum tomus V,* ed. II, Moguntiae [Mainz] et Dantisci [Gdańsk], apud Beckensteinios, 1682, 2<sup>o</sup>, f. 215 + 221 + 386 + 127 (90) + 161.

Totum autem opus, in quo ille V tomus continetur, inscribitur: R. P. Th. Młodzianowski S.J. *Integer cursus philosophicus et theologicus V tomis comprehensus*, Moguntiae et Dantisci 1682.

Priores 4 tomi eiusdem editionis octo tractatus de variis theologiae disciplinis continent, qui omnes antea prima vice variis Poloniae locis typis impressi sunt: Cracoviae, Lepoli [Lwów], Gedani, sive Dantisci, Lesnae – ab a. 1666 ad 1674.

#### 4. Generale textus philosophici contentum

Spectata eius comprehensione statim strictus eius nexus apparent cum Aristotelis philosophia eiusque tribus praecipuis partibus: logica, physica et metaphysica, quae tamen apud auctorem nostrum inverso ponuntur ordine, id est primum metaphysica, postea logica et denique physica. Particularibus singularum partium dicti textus commentationibus brevem de illarum structura mentionem praemitemus. Structura enim haec quodammodo hierarchica et sat complexa dicenda est. Textus dividitur nempe in tractatus – unum vel plures in singulis partibus – qui deinde in disputationes partiuntur, hae in quaestiones, quae iterum in difficultates. Membrorum numerus non est stabilis, sed variatur, maior est vel minor secundum problematis momentum vel eius „disputabilitatem”. In I editione operis tractatus numerantur 10, in II editione – 8 tractatus: unus in metaphysica, duo in logica, septem respective (in II ed.) quinque in physica. Alia, minora divisionis membra inter duo et septem continentur.

#### 5. Singularum partium conspectus

##### *Pars I – Metaphysica*

Primo loco in philosophica speculatione a Młodzianowski posita est metaphysica – contra communem istius temporis usum philosophicas materias tradendi, qui erat hic: logica, physica et metaphysica – tamquam philosophiae totius culmen. Metaphysicae extensio – numero paginarum computata – minima est, paulo minor logica multoque minor physica. In 5 disputationibus moventur quaestiones: entis in variis eius statibus, transcendentalium eius proprietatum, multiformium distinctionum ut instrumenti in claritate cognoscitiva obtainenda, praecipuarum entis categoriarum, substantiac scilicet et accidentis, demum entis oppositorum, non-entis ac entis rationis. Quarum quaestionum latissime considerata est distinctionis notio eiusque species (83 pag.).

Ex hoc metaphysicae conspectu generali sat parvus doctrinalis ipsius ambitus elucet, ad solam metaphysicam generalem seu ontologiam redactus, totamque metaphysicam specialem, Dei et animae humanae

philosophiam praetermittens, quae physicae reservatur. Quin immo in hoc modo coarctata metaphysica nec mentio fit de entis activitate et causalitate, quae etiam ad philosophiam naturalem remittitur. Talis ceterum erat tunc temporis in philosophia docenda usus. Causalitatis problema aut specialem philosophicam disciplinam constituebat, aetiologyam dictam, aut in physica tractabatur una cum quaestione causalitatis divinae.

In particularibus considerationibus ontologicis Młodzianowski via propria et originali procedere contendit eamque etiam probare curat. Ens qua ens „essentialiter”, non „existentialiter” concipit; ens enim existentiam praecedit et qua tale definiendum est non „quod est aptum ad esse (existere), sicut communiter dicitur, sed „ens prout radix esse primo formaliter” in qua definitione „esse” non identificatur cum „existere”.

Praeter entis definitionem discussioni scholasticae subiacet logica eius qualificatio, sitne univocus an analogus conceptus? Optionem tamen has inter duas denominations nequaquam necessariam putat Auctor. Utraque enim conceptui entis convenire potest, quod a mentis aspectu in ipsum dependet.

Entis notione declarata tres eius veluti status considerantur: possibilis, essentia, existentia. Possibilitas inter existentiam actualem mentisque fictionem locatur, non est mentis fictio, sed eius obiectum, neque dependet ab existentia etiam divina, in seipsa enim aeternam habet veritatem cognoscibilem a mente divina et humana. In essentiae existentiaeque quaestione maximi momenti est distinctionis genus inter ipsas. Reiectis ibi distinctionibus reali thomistarum, modali Scotistarum ac, quae diminuta dicitur, quorundam aliorum, Młodzianowski solam distinctionem logicam cum perfecto fundamento agnovit, quam ~~concretivam~~ nominat, iuxta quam essentia et existentia una eademque est realitas duobus perfecte inter se praecisis conceptibus apprehensa. Essentia autem in seipsa sumpta absque existentia suam habet realitatem e sola notarum constitutivarum sociabilitate, non vero e causae virtute illam actuare valentis.

Triplici transcendentali entis proprietate asserta, eius nempe unitate, veritate ac bonitate ontologica, ulterius praecipuae eius categoriae a parte rei considerantur, substantia et accidens, quarum prima in seipsa subsistit, altera non nisi in substantia tamquam in subiecto suo. In substantiae problematibus praeprimis controversa in philosophia scholastica *suppositi* ac *personae* quaestio discutitur eiusque ad substantialitatem qua talem relationis, sintne una eademque realitas an diversae, realiter distinctae? Suppositi nomine venit autem substantia singularis et completa, clausa in se, sibi sufficiens, aliis incomunicabilis ab iisque independens.

Problema dictum potissimum theologicae est originis et naturae, duabus fidei catholicae mysteriis innixum, Trinitatis scilicet et Incarnationis, ubi Tres Personae divinae cum una divina substantia identificantur unaque Filii Dei Persona duas completas in se continent substancias, divinam et humanam. Ad proposita illud problema solvendi tentamina variarum distinctionum ope (mentali, modali, formali, reali) Auctor propriam addidit solutionem in sic dicta *connotatione* sitam, non privam tamen obiectae alias obscuritatis.

Textus metaphysicus capite concluditur de entis realis oppositis, quae sunt tria: non ens (nihilum), negatio, et ens rationis seu tale quid, quod solum in mentis cognitione residere valet, qua insociabile commentum ineptumque ad realiter existendum.

Plus quam medianam suae metaphysicae partem Młodzianowski distinctionis quaestionibus tribuit, notionem eius, necessitatem speciesque copiose explicat, quas sex enumerat: realis rigorosa, modalis, virtutalis, formalis ex natura rei, distinctio per connotata, cui ipse plurimum confidit, rationis ratiocinatae (cum fundamento in re) et rationis ratiocinantis (sine fundamento). Auctoris studium et minutiosa investigatio distinctionum analyticam eius ingenii indolem manifestat, polemicæ eius tendentiae patrocinantem, in qua polemica insignis erat.

## Pars II - Logica

Haec in duos diversae extensionis tractatus (180 et 46 pag.) partitur cum consuetis subdivisionibus. In primo tractatu duae moventur quaestiones propaedeuticae de scientia et de logica, dein agitur de prima mentis operatione eiusque fructu, de conceptuum universalium praesertim formatione ac natura, id est de significatione. Aliae duae mentis operationes, iudicia ac ratiocinia, alteri tractatus obiectum constituunt.

In prima quaestione propaedeutica de scientia in genere contra scepticos affirmatur ac defenditur scientiarum realitas et certitudo et quidem duplicitis generis, non solum earum, quae speculativae dicuntur, sed et practicae naturae, id est quae activitati inserviunt. Altera propaedeutica quaestio est de ipsa logica, sitne ea vero sensu *scientia*, an secus, ars – ut verbi gratia, Martinus Śmiglecki SJ (1563-1618), celebris logicus Polonus docuit<sup>2</sup>. Contra eius auctoritatem Młodzianowski logicae indolem scientificam agnoscit, sed practicae naturae, ubi speculatio cum artificio iungitur. Necessitatem logicae in toto cognitionis humanae campo agnoscit, ut scientiac recte ordinatae esse queant.

<sup>2</sup> Śmiglecki (Smiglecius) Martinus SJ (1563-1618), auctor celebris in tota Europa logicae manualis: *Logica selectis disputationibus et quaestionibus illustrata*, quater editi, ter post eius mortem: Ingolstadt 1618; Oxford 1634, 1638, 1658.

Stricte logica textus pars tres mentis humanae operationes: conceptus, iudicia, ratiocinia considerat in diversa tamen extensione, conceptus latissime (100 pag.), iudicia vero admodum restrictive (12 pag.). Tota vero investigatio ad Aristotelis mentem in logicis eius operibus expressam procedit.

Praecipua latissimaque in conceptuum capite quaestio *universalia* respicit, seu conceptus universales in multis verificabiles (qui sunt *intentionis primae* et *intentionis secundae*; praedicamenta-categoriae atque praedicabilia) in eorum genesi, comprehensione, specificatione ac ad singularia, de quibus praedicantur relatione. Młodzianowski universalia distinguit in *metaphysica* – in essendo, *logica* – in praedicando, et tertii generis – in *significando* tamquam aliquod unum in pluribus praesens. Qua de causa impossibilis dicit ideas universales sensu platonico – ut universales in seipsis existentes a parte rei. Universalis autem unitas per abstractivum mentis actum obtinetur, quo similia in pluribus attenduntur, iis vero praetermissis, quibus plura inter se differunt.

Universalium *secundae intentionis*, id est logicorum seu praedicabilium, qui diversi sunt modi de subiectis praedicandi, Aristoteles quinque numeravit: genus, species, differentia specifica, proprium, accidens. Quae omnia auctor noster agnoscit ac explicat tam in se ipsis quam inter se et relate ad alia et quidem in speciei casu individualitatis respectu, quae Boëthianis dignoscitur notis: forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

Altera universalium series – metaphysicorum seu *primae intentionis* – decem Aristotelicis categoriis seu praedicamentis constituitur qua diversis in realitate essendi modis suntque substantia et novem accidentium genera (quantitas, qualitas, relatio, situs, habitus, ubi, quando, actio, passio). Sola relatio ex hac serie pleniorum obtinuit explicationem quoad realitatem eius constitutivaque elementa in duabus eius speciebus: in praedicentali ac transcendentali relatione, habitudine relationis qua talis ad eius subiectum ac terminum specialiter attenta.

*Iudicia* quod attinet fere unice veritas eorum attenditur eiusque definitio ac convenientia certis iudiciis et sententiis, verbi gratia iis quae liberam in futuro activitatem humanam spectant (futura libera et futuribilia).

Plus attentionis tertia mentis operatio accepit, i.e. ratiocinium seu discursus et syllogismus qua ratiocinii externum signum et instrumentum. In specie praemissarum ad conclusionem habitudo accuratius investigata est earumque influxus „illuminativus” consequens inevitabiliter inducens, quo e processu cognitionis certitudo exsurgit, quinque syllogismi figuris a Stagirita et Galeno mutuatis adiuvantibus. In demonstrativo tamen ratiocinio circulus vitiosus cavendus dicitur, quando antecedens ac consequens mutuo sese iustificant probantque.

*Pars III – Physica (philosophia naturalis)*

Haec est tertia ultimaque pars in Młodzianowski philosophia extensio sua ambas praecedentes etiam simul sumptas partes multum excedens numeransque supra 600 paginas. Occupatur autem non solum corporis naturalis natura proprietatibusque, verum et illo – e metaphysicae campo exmisso – fundamentali arduoque causalitatis problemate, divina causalitate non excepta, una cum rerum mutationibus iisque categoriis, quae in logica non sunt investigatae. Totus textus physicus in tractatus, disputationes, quaestiones et difficultates partitur, plures in prima, pauciores in secunda textus editione. Tres generales eius sectiones tribus Aristotelis physicis scriptis innituntur, scil.: *VIII libris Physicorum*, *De generatione et corruptione* et *De anima*. Hoc etiam ordine in tribus capitibus procedit huiusce thematis recensio nostra.

Et quidem in I sectione investigantur quaestiones: causalitatis in genere et specie, materiae et formae, efficientis causae creatae ac divinae nec non finalis exemplarisque, entis compositi, quantitatis, motus, loci ac temporis. II-ae sectionis obiectum est *mutatio* qua talis tam substancialis quam accidentalis, quantitativa et qualitativa, spectata in seipsa suisque effectibus, qui sunt corpora composita et complexa. III-a sectio de anima psychologiam rationalem exponit praecipueque eius notiones: ipsius animae in genere ac rationalis in specie, facultatum eius, intellectus voluntatisque, earumdem operationum, id est cognitionis et volitionis una cum earum effectibus.

Magis particularis commentatio a *causalitatis* problemate incipit, cui enodando Auctor plus studii ingeniique sui dedicavit quam ceteris physicae quaestionibus. Causam qua talem definit: principium propria virtute ad essendum determinans. Eamque dividit in causam internam: materialem et formalem ac externam: efficientem, finalem et exemplarem singulasque declarat. Ad causalitatis nexus realitatem tres postulat notas: distinctionem inter causam et effectum, eorum indistantiam relationemque prioritatis ac posterioritatis inter ipsa, quatenus causa prior est suo effectu, ille autem posterior sua causa. Contradictionem tamen non videt in actione in distans modo miraculoso virtute divina praestita, ut exempli gratia ignis Cracoviae accensus Romae luceat ac calefaciat.

In causalitatis quaestione longior consideratio data est causae materiali seu *materiae primae* ut potentiae ad formam substancialem, quarum coniunctione corpus naturale qua composita substantia constituitur. Materiae potentialitas non est omnino pura, solum enim actum physicum excludit, non tamen metaphysicum seu essendi actum – propria existentia est ditata, prout Suareziani docent. Insuper materia prima unius eiusdemque naturae in omnibus corporibus terrestribus

esse dicitur. Num etiam talis sit in corporibus coelestibus – non est certum. Aliae eius proprietates: est ingenerabilis et indestructibilis, solum divina creatione oritur, ex alio subiecto fieri nequit solaque annihilatione divina destrui posset.

Causalitas materiae eiusque causalis influxus in sic dicta „materialisatione” consistit fitque aliqua attractione absorptioneque formae a materia et in materia. Effectus ergo primarius causalitatis materialis ipsa forma est (substantialis vel accidentalis), secundarius autem et indirectus effectus totum est compositum ex materia et forma coalescens, id est substantia materialis seu corpus naturale. Sola materia accidentium subiectum esse dicitur, saltem de quantitatis genere. Ad materiae causalitatem recte intelligendam distinctio tenenda est inter duas expressiones: „esse materiam” et „esse causam materialem”. Quae altera in spiritualibus quoque rebus verificari potest, vg. in anima humana qua materiali causa suarum facultatum ac functionum.

Analogice, sed brevius formalis causalitas formaeque influxus in materiam ac compositum ex ipsis explicatur. Ille iam implicatus est in ipsa formae notione definitioneque qua actus substantialis materiae, unaque cum ipsa compositum实质的 constituents atque in formae genesi, quae vocatur „eductio formae de potentia materiae”, formae in suo fieri dependentiam a materia significanti. Ex quo fluit causalitatem formalem in physica materiae et compositi actuatione consistere sine tamen actus essendi communicatione, hic enim in Suareziana schola cum formae et materiae essentia identificatur, quae per seipsas existunt.

Ex variis formae speciebus accuratius corporeitatis forma considerata est, a totius substantiae forma distincta et apud scholasticos valde controversa, contra communiorum opinionem a solis Scotistis propugnata. Necessitas realitasque eius reicitur a Młodzianowski sicut et partiales formae singulorum organismi membrorum.

Materialis et formalis causalitas qua internae, externam causalitatem supponunt ac exigunt. Haec autem in tres dispescit: efficientem, finalem et exemplarem. Quibus omnibus apta attributa est consideratio, efficienti vero non solum in mundi creati ambitu, sed etiam in divina activitate ad extra, in qua Deus – qua mundi hominisque Creator, Conservator Cooperatorque – agit.

Aristotelicae definitioni causae efficientis: „Unde primum principium motus et quietis” Auctor propriam addidit: „quod ad existentiam qua talem compellit” et quidem proprie dicta actione, in qua ipsa efficientis causalitatis essentia consistit, recipitur vero in proprio effectu tamquam in suo subiecto. Causalitatis efficientis realitas defenditur et probatur quoad causam principalem ac instrumentalem.

Divinae causalitatis quaestio in physica tractatur. Existentia Dei admissa activa Eius ad mundum relatio ostenditur triplici in operatione: creativa, conservativa ac cooperativa, quae in concursu ad creaturarum actiones consistit. Creatio qua rei ex nihilo sui et subiecti productio solius Dei est, creaturis vero convenire nequit, nisi forte ut Dei agentis instrumentis. Creatio autem *ab aeterno* exercita possibilis videtur. Divinus ad creatam activitatem concursus simultaneus est cum ea, nec ab ipsa realiter distinctus. In liberis autem actionibus libertati creaturarum non obstat.

Agens quocumque semper ad aliquem finem agit iuxtaque aliquod operis producendi exemplar. Finis igitur et exemplar vere in causae realitate participant suoque influxu efficientem causam in effectu ponendo adiuvant aptis instrumentis adhibitis. Deus autem finaliter agit non in quantum ipse creaturem intendit, sed qua earum Finis.

Tota causalitas ordinatur ad ens compositum producendum, e materia prima, forma substantiali accidentibusque constans. Elementorum componentium unio apud Młodzianowski non per se ipsam efficitur solis istis elementis concurrentibus, sed cuiusdam *modalitatis unitiae* ope, ab ipsis constitutivis realiter distinctae, uniusque in toto compagno. Talis est consequentia identificationis essentiae cum existentia in entibus creatis – ad Suarezianorum mentem.

Ad substantiam materiale componendam etiam accidentia concurrunt, *quantitas* praepromis qua materialis naturae. Quantitatem Auctor late considerat in 2 disputationibus, 8 quaestionibus, 75 paginis. In philosophia scholastica ipsa quantitatis notio est controversa explicaturque diversimode: per extensionem substantiae, divisibilitatem eius, impenetrabilitatem ac positionem partium extra partes. Ultimam explicationem Auctor suam facit. Quantitas medium veluti locum tenet inter substantiam ceteraque accidentia, ipsa enim in substantia subiectatur et in se alia subiectat. De quantitatis divisibilitate in partes controvertitur inter scholasticos sintne illae extensa et in infinitum divisibles, an inextensa et indivisibles? Młodzianowski ambas has opiniones conciliare studet, partium divisibilitatem ad certum solum terminum docens, ultra quem indivisibles evadunt.

Cum quantitate problema *infiniti* materialis iungitur, sitne possibile et reale, an non. Rejecto qua impossibili infinito plene actuato (categorematico) possilitas admittitur infiniti potentialis, in actuandi in infinitum potentia manentis (syncategorematici).

Quantitas alia est permanens, alia fluens: motus localis et tempus. Utraque mobilitas ad Aristoteli mentem intelligitur in textu: motus qua „actus entis in potentia prout in potentia”, tempus vero qua „numerus motus secundum prius et posterius”. De motu insuper dictum est illum notiones loci, spatii ac in loco praesentiae inferre, ut de loco in

locum transitum in spatio. Praesentia autem in loco duplex esse potest: *circumscrip̄tiva*, per extensarum partium applicationem, ac *definitiva*, ad modum spiritus, sicut anima in corpore et Christus in Eucharistia. Admissa bilocationis compenetrationisque corporum possibilitate, divina saltem virtute peragenda, qua mentis figmentum reiectum est spatium imaginarium, ad instar infiniti vasis totum mundum in se continentis cogitatum. De tempore vero et duratione in illo notatum est ad plenam illius realitatem complementum a mente cognoscente requiri illudque solo termino diversum esse ab aeternitate limite carente, prout in Boëthii definitione asseritur: „interminabilis vitae tota simul et perfecta posses̄io” vel brevius in nostri auctoris verbis „interminabilis existentiae possess̄io”. Quae hactenus dicta sunt, ad I sectionem eius physicae pertinent haustaque potissimum sunt ex *VIII libris Physicorum* Stagiritae.

In altera sectione eius physicae in Aristotelico textu *De generatione et corruptione* fundata *mutationum* in mundo problema movetur in genere et in specie. Substantialis mutatio in tres species divisa est: in generationem, transformationem, augmentationem quantitativam. Generatio a Philosopho definita „mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subiecto eodem”, a Młodzianowski solis anorganicis corporibus applicatur, in viventibus autem substituitur termino „nativitas”, quae dicitur „origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae”. Uterque processus actus et potentiae ope perficitur.

Alia mutatio substantialis proprie transsubstanciatio nominatur eiusque problema genesis habet theologicam in Eucharistiae dogmate, ubi res naturales, panis vinumque in Christi Corpus Sanguinemque convertuntur. Philosophiae est saltem possibilitatem huiusmodi transformationis inquirere, num ac sub quibusnam conditionibus id naturaliter fieri possit. Quantitativa substantiae augmentatio qua tertium mutationis substantialis genus consideratur in seipsa ac in duabus suis speciebus: quoad condensationem et rarefactionem.

In textu est adhuc sermo de *mixtionibus*, seu variis elementorum combinationibus, quae tunc temporis principia constitutiva omnium rerum putabantur esse quattuorque numerabantur: ignis, aër, aqua et terra, cum propriis qualitatibus etiam quattuor: calor, frigus, siccitas, humiditas, quibus concurrentibus omnia phaenomena physica fieri credebantur, quod scientia hodierna compositionibus chimicis attribuit.

Tertia demum physicae Młodzianowski sectio, ad Aristotelis tractatum *De anima*, provocans, *psychologiam rationalem* continet suetasque eius notiones: animae, vitae, facultatum, liberi arbitrii aliasque explicat. Anima in genere dupliciter definitur: „Actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis” atque „id, quo vivimus, sentimus, movemur, cogitamus”. Ad eius essentiam pertinet igitur vita qua „principium

motus actionisque per se immanentis ab intrinseco". In pleno animae conceptu tres eius species inveniuntur: anima vegetativa, sensitiva et rationalis, quarum ultima tantum hominem vivificat, aliasque tamen in se virtualiter continens. Animae humanae subiectum totum corpus putatur una cum omnibus suis partibus sensibusque, ast sanguine excepto.

De rationali anima 4 considerantur quaestiones: immaterialitas eius, indivisibilitas, specificatio et facultates, quae tamen cum eius essentia identificantur. Deinde intellectus natura functionesque investigantur, quatenus simul agens est et patiens, cognoscens abstractive et intuitive. Cum ipso realiter identificata est voluntas qua potentia bonum eligendi fugiendique malum, utrumque modo libero diversisque actibus elicitis sive imperatis circa finem eiusque media versantibus. Demum etiam animae *habitibus* earumque genesi ac in activitatem eius influxui parva data est reflexio.

Generalis de *physica* Młodzianowski opinio haec est: non est experimentalis scientia sensu hodierno, sed scientia philosophica, iuxta istius temporis exigentias, immo non parum cum metaphysica et theologia connexa, extensione sua alias philosophiae partes superans.

## 6. Generalis investigationis recensionisque recapitulatio

Thomae Młodzianowski philosophia non est stricte originalis doctrina, sed fortiter patrimonio philosophiae peripatetico-scholasticae innixa et quidem potissimum in Suareziana eius modificatione, sed et aliis non paucis subiecta influxibus, quod tamen in sensu defectus autonomiae mentalis in Auctore intelligi non debet, immo: eam sublineat. Auctoritates enim invocantur in textu non ad propriam indolentiam aliena sapientia substituendam, sed ut veritas quaesita ex opinione varietate apte enucleetur et in plena luce ponatur.

Tres vero sunt saepissime citatae *auctoritates*: Aristoteles, Suárez et Soares Franciscus, „Lusitanus” aut „recentior Suarezius” dictus<sup>3</sup>. Praeter hos non semel citantur: Arriaga, Oviedo, Augustinus, Mastrius, Fonseca, Hurtado, Maurus, Vásquez, Cajetanus, Duns Scotus, Thomas Aquinas aliquique circa centum; e Polonis Martinus Smiglecki [Smiglicius] et Joannes Kowalski, ipsi contemporanei<sup>4</sup>. Afferuntur autem hi

<sup>3</sup> SOARES Franciscus SJ (1605-1659), philosophiae ac theologiae professor Coimbrae et Evorae, auctor *Cursus philosophici in 4 tomos distributi*, qui plures edebatur: Coimbra 1651; Evorae 1670, 1701-1703.

<sup>4</sup> Augustinus, Duns Scotus, Thomas Aquinas explicatione non indigent. Ceteri – praeter Cajetanum, id est Thomam de Vio de thomistica schola, et Mastrius (B. Mastri)

auctores aut, ut auctoritate eorum propria sententia roboretur, aut ut propria opinio eorum auctoritati obiciatur.

Młodzianowski saepe dicitur unus esse de Suarezii [Suárez] seu jesuitica schola, quod ceterum diversimode intelligi solet, immo magis Suarezianus putatur quam alii eius socii, vg. Joannes Morawski, magisque Aquinati et thomistis oppositus. Quae opinio admitti potest adhibitis tamen quibusdam modificationibus. „Suarezianismus” enim nostri philosophi non est purus nec rigorosus, etenim alias etiam magistros habet ut Franciscum Soares e posteriori Suarezianorum generatione, cuius opiniones philosophandique methodum saepe proprias facit. Ab authentico Suarezio non semel etiam in fundamentalibus ~~dissert.~~ vg. quoad modalitates actus potentiaeque unitivas. Quo non obstante plerumque hic est ipsi philosophus magnae auctoritatis.

Formalis ac methodologica philosophiae huius structura, imprimis comprehensiva quaestionum scrutatione notificatur, quae apta synthesi perficitur nec non polemica refutatione opinionum non sufficienter probatarum. Positiva thesium expositio variis argumentis – theologicis non exceptis – probatione innititur. Quare nec philosophia pura, stricte ab aliis scientiarum generibus segregata dici potest. Quin immo in textu expressiones inveniuntur scientificam indolem omnino non habentes, uti sunt pia desideria ad lectorem vel ad Deum ipsum directa nec non devotionales Beatae Virginis Mariae invocationes, etsi themati philosophico consentaneae illudque iuvare studentes.

Breviter: Auctoris philosophia provenientiae est Aristotelico-Thomisticae, sed critice tractata novisque ideis dotata ad cuiusdam *compromissi* conciliationisque doctrinam efformandam, in qua omnes philosophiae peripatetico-scholasticae fractiones occurrere queant.

In personali Auctoris nostri *imagine* a commentatoribus sublineari solent ipsius operandi studiositas, religiosus fervor, animi persuasionum fortitudo simulque magna in vita et loquela modestia, vi cuius scripta sua „scriptiuncula” appellabat, etsi a contemporaneis habebatur unus e celeberrimis e Societate Jesu concionatoribus, philosophis ac theologis. Quare vere dignus est memoria in ulteriore etiam posteritate.

**BIBLIOGRAPHIA**

Vita scriptaque Thomae Młodzianowski non semel commentata sunt ab historicis. En praecipui textus:

- 1) Bargieł F., *Tomasz Młodzianowski SJ (1622-1686) jako filozof z kręgu myśli suarezjańskiej* [T. M., philosophus e Suareziana schola], Kraków 1987, Facultas Philosophica Societatis Jesu Cracoviae, pp. 240, Summarium, p. 227-231.
- 2) Czerkawski J., *Humanizm i scholastyka*, Lublin 1992, passim.
- 3) Czerkawski J., *Z dziejów metafizyki w Polsce w XVII wieku*, „Roczniki Filozoficzne”, 24 (Lublin 1976), nr. 1, passim.
- 4) Greniuk F., *Stan badań nad Tomaszem Młodzianowskim T.J. (1622-1686)*, „Roczniki Teologiczno-Kanoniczne”, t. 16 (Lublin 1969), nr. 3, p. 41-48.
- 5) *Polski Słownik Biograficzny*, t. 21, Wrocław 1976, p. 425-426 (F. Greniuk).

**Franciszek BARGIEŁ SJ****TOMASZ MŁODZIANOWSKI SJ (1622-1686),  
WYBITNY SUAREZJANIN POLSKI XVII WIEKU**

Powyższy tekst przedstawia główne wątki zawarte w rozprawie monograficznej ks. Franciszka Bargieła SJ pt. *Tomasz Młodzianowski SJ (1622-1686) jako filozof z kręgu myśli suarezjańskiej*, Kraków 1987, Wydział Filozoficzny Towarzystwa Jezusowego, format A5, ss. 240. Streszczenia książki i opracowania tekstu w języku łacińskim dokonał sam Autor.